

non invidet, licet inferiorem locum obtineat, ostendit apostolus, I. Corinth. XII. *Et qui cursu certant, inquit Plutarchus, non discruciantur, cum vident coronas athletarum, sed suis oblectantur: ita te non oportet aliena felicitate discrucari, sed tua gaudere sorte.* Omnes pro corona currimus, unus quidem sic, alius autem sic: et ubi in caelo eam obtinuerimus nemo alteri invidet, ergo nec aliis invidere debemus, si videamus eos aliter currere. Currebat Joannes Baptista, currebat Christus: Christus miracula faciebat, Joannes nulla edebat: Christus resurgere debebat, Joannes ad limbum descendere; non tamen hæc Joannes ei invidebat, sed, *illum, aiebat, oportet crescere, me autem oportet minui,* Joan. III. Ergo etsi videas alium per gloriam, te vero per ignominiam tendere ad caelum, idem quoque dicito. Quare sicut fratres sine invidia dividunt panem, licet alteri major pars contingat, sic faciamus nos. Ita S. Paulus eremita et Antonius panem sibi a corvo allatum, arreptum altrinsecus dividerunt, ut pro sorte sua cuique pars remaneret, ut scribit S. Hieronymus, in vita Pauli, cum enim alter alteri honorem in dividendo cederet, ambo simul dividerent.

V. Qui livoris peste plene carere desiderat, ait S. Greg. I. V. moral. c. XXXI. illam hæreditatem diligat quam cohæredum numerus non angustat; quæ et omnibus una est et singulis tota, quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Quare sicut fratres, qui eandem hæreditatem expectant, licet ad tempus interim sint in fortuna impares, immerito sibi invident, ita pariter et nos. Hæc cogitatione pater filii prodigi sedare conatus est invidiam filii majoris, qui invidebat fratri congratulationem de ejus reditu: *Fili inquit, omnia mea tua sunt,* Luc. XV. Idem tibi dici puta; cur ergo fratri invides qui patrem habes in caelo, cujus omnia tua sunt?

VI. Noli querere quæ tua sunt, sed quæ Dei. Sic Moyses cum a Josue audisset certos quosdam homines in castris nihilominus quam ipsum prophetare, monereturque eos tamquam gloriæ suæ æmulos compescere et in carcerem trudere, (ut habet paraphrasis Chaldaea) respondit ei: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum?* Num. XI. Sic etiam apostolus cum quidam in ejus odium Christum maligne annuntiarent, ait: *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo,* ad Philip. I. Si ergo Dei gloriam solummodo quæramus, nemini invidemus, si per alios quoquo modo Deus glorificetur.

VII. REMEDIA PASSIVÆ. Vis tibi non invideri?

Primo, *esto Thersites,* ait Socrates, id est, nulla re eximius. Ita etiam Cato eos, qui fortuna moderate sobrieque uterentur, dicebat minime peti invidia. *Non enim, inquit, nobis, sed bonis, quæ nos circumstant, invident homines.* Hinc referunt Diogenem nulli patuisse invidiæ, quia nihil possedit.

Secundo, noli ostentare bona tua, non necessario ostendenda. Quemadmodum enim iter facientes, ait Plut. per solem, necessario comitatur umbra, sic quoque incedentibus per gloriam comes est invidia. Contra ubi nullum lumen, ibi nulla umbra; ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia. Hinc Christus gloriam suam quantum potuit occultavit, ne invidiæ occasionem præberet inimicis suis, sacerdotibus et pontificibus: *Vide nemini dixeris, inquit: item: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat,* Matth. XVII. Linque honores et officia publica, civium volitare sequestra te ipsum, quantum potes, ab oculis multorum invidiorum, nec vultu, nec verbo, nec habitu, digito te notandum præbeas, ait Franc. Petrarch. dial. de invid.

Tertio, facultates tuas honesto et duro labore compara. Solent enim homines iis potissimum invidere, qui vel malis artibus, vel mero fortunæ afflatu, præter meritum et absque labore bonis cumulatur. Hinc Plut. ait: Ut non invidetur his, qui domum aut agrum magno emerunt, sed quibus gratis contigit, ita nemo his invidet, qui gloriam magno sibi pararunt, sed quibus fortunæ favore contigit.

Quarto, bona tua, quibus excellis, sine invidia communica, et non habebis æmulos, sed potius suffragatores, qui omnibus te bonis affluere optabunt, quod ea non tibi sed et aliis possideas. Dives igitur es? Inva indigentes, donando, commodando; disperse et da pauperibus, ait enim propheta, Psal. CXI. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria,* i. e. celebrabitur ab omnibus et laudabitur. Magnus et excelsus es? Humilia te ad omnes et nemo invidet gloriam. Doctus et ingeniosus es? Communica sine invidia tuam sapientiam, et omnes tibi applaudent, utpote ex cujus lumine lumen et ipsi capiunt.

Ad extremum si invidios evitare nequeas, contemne. Præstat enim esse invidiosum, quam invidum; quia signum virtutis tuæ est invidia alterius. Imitare lunam, quæ ad importunos canum latratus, nunquam intermittit cursum suum; canes autem silentio ejus confusi coguntur tandem fatigati rabida ora claudere.

Denique, S. Gregorius Nazianzenus, in distich. iamb. ait: « Christo annuente nihil prodest labor, Christo abnuente, nihil prodest labor. »

CONCIO VIII.

NOVISSIMI SÆPE FUTURI PRIMI ET E CONTRA.

I. Magnates et nobiles. — II. Superiores. — III. Doctores et eruditi. — IV. Divites. — V. Qui in perfectiore statu.

THEMA.

Sic erunt novissimi primi et primi novissimi.

Non abs singulari mysterio scribitur tam exacte Genes. XXXVIII. instante partu Thamaris apparuisse geminos in utero ejus, atque in ipsa effusione infantium unum protulisse manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens: *Iste egredietur primo.* Illo vero retrahente manum egressus est alter: dixitque mulier: *Quare divisa est propter te maceria?* Nomen isti Phares, alteri Zara. Ita enim communiter evenit inter homines. Gemini isti geminam significant hominum conditionem, quorum alii primi sunt apud homines, novissimi apud Deum; alii novissimi apud homines, primi vero apud Deum. Etenim licet in hac vita velut in utero clausi lateant, nec usque adeo certum sit, quis prior sit futurus in morte (quæ Christianis altera nativitas est apud Deum); multi tamen proferre videntur manum, et speciem majoris eminentiæ, prioritatis, et probitatis præ se ferunt: ut homines existiment, eos futuros esse primos, ideoque purpura ornent et ad dignitates evehant, etc. sed decipiuntur sæpenumero. Quem enim primum fore putarunt, exiit ultimus; et quem ultimum primum: cum per mortem velut obstetricem educentur ad vitam alteram. Id quod indicatur in hodierno evangelio, cum dicitur: *Erunt novissimi primi et primi novissimi.* Sed murmurat obstetrix et ægre fert præreptam esse prioritatem Zaræ a Phares: murmurant item in evangelio operarii qui primos se futuros sperabant, quasi inique secum actum esset; sed audiunt: *Amice, non facio tibi injuriam.* Ne igitur Deus injustitiæ accusari queat, si, qui primi hic sunt, ibi ultimi futuri sint, ostendemus id in multis merito evenire.

I. Tales sunt magnates, potentes, nobiles et universim omnes mundi cultores. Nam cum hi a mundo honorentur et diligantur, difficile est et mirum, si ipsi mundum vicissim non honorent ac diligant. Quemadmodum enim is, quem populus veneratur aperiendo caput, cum in publico transit: nisi eadem reverentia dignetur et quodammodo solvat se honorantes, non diu honorabitur; contra si vicissim aperiat eis caput, deinceps etiam honorabitur; ita par esse videtur iis, qui a mundo honorentur, suspiciuntur

ac diliguntur, mundum vicissim honorare et amare, nisi sperni cito a mundo velint. Contra vero plebei vel rustici quia a nemine honorantur, nec ipsi facile honorant alios. Primi generis sunt magnates et nobiles; secundi generis plebei et ignobiles. Illi hujus mundi cives sunt, ideoque amati et in pretio habiti, hi vero advenæ et peregrini, qui ab omnibus torve aspiciuntur. Sequitur ergo admodum probabili consequentia, ab illis similiter amari mundum, ab his vero non amari, nec facile amari posse. Jam vero, nonne Dominus ait: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet?* Matthæi VI. Igitur a primo ad ultimum; qui a mundo diligitur et suspicitur, mundum diligit: qui mundum diligit, Deum contemnit: qui Deum contemnit a Deo contemnetur. Et contra, qui a mundo odio habetur, mundum odio habebit; qui mundum odio habet, Deum diligit; qui Deum diligit, a Deo diligitur: ergo tandem qui coram mundo sunt primi, coram Deo erunt ultimi, et qui coram mundo ultimi, coram Deo erunt primi. Hoc sub velo prædixit Deus per Moysen populo Israelitico, Deuteronomii XXVIII. dicens: *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes et eris inferior:* (Hebr. habetur:) *Advena ascendet super te sursum, sursum; tu autem descendes deorsum, deorsum,* (id est magna distantia) subjungitque: *Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.* Advena in hoc mundo est, qui a mundo nascitur, spernitur et odio habetur: uti pauper, rudis, ignobilis, etc. civis, qui a mundo colitur eumque colit. Videtur his mundi civibus accidere, quod falconi; advenis vero, quod gallinæ. Falco enim dum vivit blande tractatur, manibus nobilium gestatur, columbarum et gallinarum carnibus nutritur, balneis seu sudariis purgatur, demulcetur pennis, in cubiculis dominorum sedulo asservatur, cum ipso vigilatur, etsi parum utilitatis affert, plurimi interim constat. Contra gallina tam utilis et ovipara, foras pellitur, ut in fimeto vermes eruat, et cibum sibi quærat, ac si vel semel locum quemdam honoratiorem ingrediatur, magnis clamoribus ejicitur. Verum in morte utriusque aliter res evenit: falco enim in sterquilinum et fimum abjicitur, gallina jugulata laute præparatur, et argenteis sæpe patinis ad mensam regis ponitur. Ita mundi cives honorantur, laute aluntur, custodiuntur satellitio, demulcentur cauda vulpina ut loquimur, et quasi manibus adulatorum suorum gestantur, cum contra ejus advenæ rideantur et explodantur.

tur, si forte aulam vel gymnasium aut templum aliquod ingrediantur, in sudore vultus sui quærere panem suum debeant, etc. licet sæpe magis fervidi in charitate et ovipari sint virtutum. Exemplo sunt epulo ille evangelicus et Lazarus, quorum is in vita epulabatur quotidie splendide, hic vero cupiebat saturari vel de micis et non habebat; ille induebatur purpura, hic vero purulentis plenus erat vulneribus; ille vestiebatur bysso et mollibus decumbebat in lectis, hic projectus ad terram præ foribus jacebat; ille servorum famulatio stipabatur, hic canibus vulnera lingentibus; tandem ille recipiebat bona in vita sua, Lazarus vero mala. At post utriusque mortem, Lazarus gestatur in sinum Abrahamæ, dives sepelitur in inferno. Quæ mirabilis catastrophe pulchre insinuat in evangelio. Initio enim historia prius ponitur epulo, postea Lazarus describitur. In fine vero evangelii vade retro dives; priori loco enim nominatur Lazarus, posteriori dives. In hujus etiam rei figuram, IV. Reg. ult. principes et magni domini in captivitatem Babylonicam ducti sunt, pauperes vero vinitores et agricolæ in patria sua relictæ. Sapienter igitur et vere S. Hieronymus, in vita S. Pauli eremitæ ad finem, ait: « Si Dominus optionem mihi daret, multo magis eligerem tunicam Pauli (e palmæ foliis ab eo contextam) cum meritis ejus, quam regum purpuram cum pœnis suis. »

II. Superiores et magistratus primi sunt apud homines, neque immerito; subditi vero novissimi: sæpe tamen apud Deum illi postponentur istis: cum enim superiorem non habeant, vel saltem procul a se, legibus superiores se putant nec ita conscientie ducunt eas transgredi, qui impunes manent. Ad hæc potestatem superiorem, censuras et excommunicationes parum aut nihil verentur, etc. subditi vero mox ubi deliquerint, plectuntur, nihil eis condonatur. Sed hoc ipsum ad commodum subditorum, maximum vero detrimentum superiorum cedit. Quæro enim ex te, si in duobus vini doliis crebro rumpantur circuli, sed in uno mox restaurantur, in altero non item; ubi tu plus vini reliquum fore speras, aut si tandem utrumque ex cella extrahendum sit, utrum putas fore integrum? Nonne id, cui novi subinde circuli impacti sunt? Similiter si in subdito deprehendatur aliquis excessus adeoque rumpatur aliquis legis circulus, subito adest licitor, iudex, eumque puniendo novo circulo in carcere ligat. Non ita fit magistratibus, unde in graviore sunt periculo. Et si aliquando educendi sunt ex hac vitæ cella, rumpentur. De hoc queritur Psal. LXXII. David: *In labore hominum non sunt, ait, et cum*

hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate et impietate sua, (ego vero) fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis, id est, statim punior nec differtur vel ad modicum pœna mea. Subjungit tamen in novissimis mutandam esse utrorumque sortem: Donec intelligam in novissimis eorum, inquit. Ad hoc isti omnes admonitiones fere eludere et ridere solent: quibus tamen subditi facile moventur et emendantur. Ita enim Joan. VII. licitores credunt in Christum, non item eorum magistratus. In cuius rei figuram vacæ illæ jugo alligatæ ferunt arcam fœderis recta sine errore ad terram Israel, I. Reg. VI. cum filii Israel per quadraginta annos eam invenire non possent. Exemplum præbet S. Isidora virgo Tabennesiotissa, quæ inter triginta sorores monasterii postremissima omnium ludibrium et peripsema, pro stulta habita et neglecta, quietiam mediastinorum obsequiis et culinæ abjectissimis operis addicta, multis contumeliis et verberibus etiam ab aliis afficiebatur. Hæc ascetæ cuidam sanctissimo, qui multis annis Deo serviebat, ab angelo præponebatur. Visne videre, inquit angelus Pitiro, feminam te multo sanctiorem? Pete cœnobium virginum Tabennesiotissarum, ex quibus unam aliquam offendes, quæ diadema gestat (erat id sordidus pannus caput tegens) illa te melior est. Abit asceta ad locum dictum et advocat omnes ad se virgines, signum diadematis tamen in nulla conspicit: unam igitur abesse clamat, illam adducendam. Nulla, inquit illæ, deest, nisi fatua una in culinam detrusa. Produceite, inquit, eam. Adducta illa, asceta ad pedes ejus abjeitur, et: Bene, inquit, precare mihi mater. Et illa: Tu mihi, inquit, præsta quod a me indigna petis, pater. Attonitæ reliquæ virgines: Pater, inquit, ne erres, hæc stulta est. Vos, inquit Pitirus, stultæ estis, hæc autem et me et vobis omnibus sapientior et sanctior est. Tum omnes consternatæ ad pedes ascetæ provolutæ, peccata sua in Isidoram commissa confitentur certatim, et veniam ab illa petunt, Pallad. c. XXIV. de S. Pitiro: et in m. s. bibl. august. ubi nominatur virgo Isidora.

III. Doctores et sæculari scientia præditi, primi sunt apud homines, rudes vero novissimi, sæpe contra apud Deum. Nam primo, sæpe doctissimi ab Ecclesia deficientes in gravissimis erroribus lapsi sunt, ut Origenes, Tertullianus et alii, quia ut Pius II. pontifex aiebat, teste Platina, in ejus vita: Cui plura nosse datum est, eum majora sequuntur dubia. Idque non raro fit circa obitum illorum, ubi in fine arduorum dogmatum maxime tentantur. Exemplum refert Petrus epis-

opus Patavinus, lib. II. de ratione moriendi, de quodam doctissimo viro, qui alteri suo sociototus ardens post mortem apparuit, dicens se damnatum, quod in articulo mortis a diabolo victus in Arianorum hæresin declinavit, apud Bellarminum, conc. XV. dom. I. post epiph. Deinde scientia inflat, I. Corinthiorum VIII. sicut pisa comedentem: unde prohibitum Adæ comedere de ligno scientiæ. Item docti latas sibi faciunt conscientias, et multa concedunt, quæ indocti sibi negant. Ad hæc rudes magis moveri et assentiri concionibus corrigique quam doctos, patet exemplo turbæ, quæ facile et certatim credit Christo, non item Pharisæi et legisperiti; unde aiunt: *Numquid credidit aliquis in eum ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, Joan. VII. Deinde, annon videtur major in simplicibus fervor frequentandi templa, confitendi, communicandi, verbum Dei audiendi? In hujus rei figuram vasa vacua implentur oleo, non repleta aliis scilicet liquoribus ignobilioribus, IV. Regum IV. Qui ergo repleti sunt mundi sapientia, incapaces sunt sapientiæ divinæ. Sic enim et pastores veniunt ad præsepe Domini, non veniunt Scribæ et sacerdotes, etsi sciebant Christum nasci in Bethlehem, idque audiebant a magis, Matthæi II. Poterant autem et debebant æque hi credere magis, atque pastores angelo. Hi enim tanto itinere venerunt et ierunt ad præsepe, angelus mox evanuit. Sed nimirum surgunt indocti, ait August. lib. VIII. conf. c. VIII. et cœlum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde (ecce ubi?) volutamur in carne et sanguine.*

IV. Certum est apud homines, divites esse primos, pauperes postremos. Sed num item apud Deum? Certe contrarium e multis patet argumentis. Nam in primis quis non videt pauperibus omnem pene ad peccata graviora interclusam esse viam, divitibus vero apertam? Ubi usura, avaritia, superbia, gula, libido, prodigalitas, etc. Certe inter pauperes vel raro vel vix hæc inveniuntur, cum desit eis materia horum peccatorum. Et quid communius his vitiis. Sunt ergo ut plurimum inter divites. Unde vita pauperis et divitis similis mihi videtur peregrinationi alicujus pauperis, et alterius nobilis adolescentis, Romam versus. Hic enim licet equitet aut curru vehatur, nullio negotio antevertetur a paupere pedite et tardius Romam veniet, licet prior discedat: sponsonem facere ausim. Cur ita? Pauper quia ære modico est instructus, nullibi moratur, ad latus non divertit, et de hospitio cito se expedit, quia gratus non est hosti, nec apponuntur ei vina pretiosa, nec vicinas cupit videre civitates, quia

I.

ad palatia, ad hortos, etc. non admittitur. At nobilis nunc moras trahet ob tempestatem sibi displicentem, valetudinem, vel aliam incommoditatem; nunc morabitur ad vinum Apianum seu Phalernum, nunc ad Malvaticum, nunc ad ostreas Venetianas vel ad arsenale seu armarium Venetorum, nunc ad hortos Florentinos, nunc apud notos et cives suos studiosos Bononiæ vel Senis; interim alter dudum venit Romam et videbit papam et lucrabitur indulgentiam ac forte redibit antequam hic eo perveniat. Ita nimirum divites occupant et detinent se in hujus mundi deliciis, ad templa et concionem non veniunt, nisi sero, ære temperato et magna sua commoditate: jejunia non servant, nisi optima cum refectio bellariorum, peregrinatum vehi potius quam ire volunt; at pauper non habet, cur divertat aut se detineat in sæculi voluptatibus et deliciis, ideo facile et recta ad futura bona anhelat et festinat. Unde Paulus ad Hebræos XIII. ait: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquiremus.* Recte certe, quia si haberemus hic manentem, futuram non inquireremus.

Similiter et virtutes facilius et libentius crescere in ædibus pauperum, quam divitum, quis non videt? Victus eorum quasi perpetuum jejuniū; et interim majores Deo gratias agunt pro juscule et olere, quam divites pro lautis conviviis quibus precationem vel gratiarum actionem raro adjungunt. Vestes eorum divitibus forent cilicium, lectus nihilo mitior foret humo aut scamno, vigiliæ labor continuus: ibi concordia conjugum, disciplina liberorum, imo et eleemosyna facilius tribuitur, quam in ædibus divitum. Non succenseant mihi divites. Sic enim Dominus, Matthæi XIII. cap. divites comparat agro spinis et tribulis obsito. Ejusmodi autem ager zizaniis et tribulis refertus initio quidem pulcher et floridus apparet magis quam ager boni seminis; messe tamen adveniente ex hoc multum, ex illo nihil aut parum metitur; quia in hoc nulla, in illo plurima frugum impedimenta. Ita licet pulchræ appareant divitiæ, cor tamen divitis occupando, semina bona in eo suffocant. Curæ enim et sollicitudines mentem divinis avocant et terrenis rebus immergunt. Deinde ut spinæ tangentem se vident: ita opulenti correctiones non admittunt, sed rident et contemnant suosque monitores repellunt.

V. Qui in perfectiore statu sunt, inter Christianos præferuntur iis, qui in minus perfecto, velut episcopi religiosi, hi clericis sæcularibus, isti laicis, in quibus etiam varii gradus sunt. Virginum status superat viduas: hæc conjuges. Inter hos alii majus lumen ad majorem gratiam ac-

36

ceperunt quam alii. Cæterum in altero sæculo multoties invertentur hi gradus, ut qui hic in alto sedet, in imum ibi deprimatur et e contra. Multi conjuges sunt, qui ex sua familia faciunt monasterium: cum vicissim non desint monachi, qui ex sua religione fabricant mundum et tabernam. Multæ sunt familie, (qualis erat Sancti Elzearii comitis, B. Thomæ Mori), etc. in quibus summo mane surgitur, signata primum fronte Deo gratiæ aguntur, matutinæ laudes dicuntur, ubi quotidie ad missam itur, ubi opera manuum ad Dei gloriam peraguntur, ubi mensam præcedit benedictio, sequitur gratiarum actio, ubi inter comestionem vel spiritualis lectio vel concionis fit repetitio, ubi silentium servatur a detractio et vaniloquio, ubi vespere post labores psalmus decantatur, ubi ante somnum conscientia examinatur, et cum propitiato Deo cubitum itur. Et quot sunt religiosi, qui isthæc non observant? Certe abbas Sylvanus, in vitis pp. I. V. tit. de compunctione, raptus ac rediens ad se cecidit in faciem et flevit. Causam rogatus dixit: «Ego ad iudicium raptus sum, et vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, et multos sæculares euntes ad regnum.»

Quæ cum ita sint, si sapimus, auditores, non intrudamus nos in primas hujus mundi sedes et sessiones: postremas ambiamus, ut suo tempore exaltemur et e novissimis abstracti collochemur inter primos.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. Discant hæretici. — II. Discant catholici. — III. Discant domini. — IV. Discant servi. — V. Discant justi. — VI. Discant peccatores.

THEMA.

Misit eos in vineam suam. Matth. XX.

Incipit hoc die s. mater Ecclesia recitare in officio initium libri Genesis et historiam Adami, cum in paradysum missus est, ut operaretur et custodiret illum. Cui historiæ pulchre respondet parabola hodierna. Quod enim ibi actum est typice designat id quod egit Christus, quando misit operarios in vineam suam, in Ecclesiam, videlicet, ut operarentur, et custodirent eam. Operarii autem sunt apostoli imprimis, pastores et doctores: sed et omnes nos ad hoc in Ecclesiam positi, ut vitam animæ nostræ pro viribus excoleremus, et deinde Ecclesiam quoque si non verbo, saltem exemplo et vitæ sanctitate: cæterum sicut ibi Deus sub vespertinum tempus descendit in pa-

radysum, quasi ejus cultorem Adamum visitaturus, et ad rationem vocaturus dicendo: *Adam, ubi es?* ita ad finem mundi descendet de cælo Christus, ad rationem citaturus omnes suos operarios. Væ illis, qui in vinea hac vel omnino non fuerunt, vel non rite laborarunt! Quorum aliquos ex hodierno evangelio commonendos existimavi.

I. Viderint hæretici stantes extra vineam Ecclesiæ otiosi. Quid vos hic statis extra vineam; an Christum non auditis, qui in hodierno evangelio docet in vineam Ecclesiæ suæ omni tempore ablegatos fuisse operarios, qui excolerent illam, prælatos, doctores aliosque fideles? Jam vero Ecclesia catholica demonstrare potest operarios illos per singula sæcula ad semissos, ita ut nullo unquam tempore fuerit sine illis. At vos miseri, quos ostenditis ad vineam vestram missos ante annos ducentos, quingentos, millenos, etc? Fateri ergo debetis vel patremfamilias Christum vestri oblitum fuisse, vel, quod est verissimum synagogam vestram ante Lutherum et Calvinum vestrum, nullibi extitisse. Itote ergo ad vineam illam et quæ post Christum semper extitit, et omni tempore habuit suos operarios.

Deinde, quid hic statis otiosi et bonis operibus vacui; qui sola et nuda fide denarium cæli vobis promittitis? Annon intelligitis ab hodierno patrefamilias, conductos esse operarios, eosque in vineam missos, utique non ad dormiendum, sed ad operandum et denarium lucrandum, qui præmium non accidentale tantum, sed essentialiter significat, quia idem omnibus datus fuit? Sed quam belle consonet Lutherus cum hoc patrefamilias, audiamus. Ad cælum via arcta est inquit in evangelio, fer. II. pent. tenuem te oportet fieri, si transire velis, qui operibus cœu Jacobitæ peregrinatores cochleis circum undique muniti sunt, penetrare non possunt, ideo oportet te tenuem atque angustum fieri. Hoc fit autem quando in te desperas: si autem adveneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui penetrare non poteris. Hæc Lutherus, acerbis Scripturæ irrisor et pessima aranea, quæ ex optimis floribus pestilens venenum sugit; juxta quem Thabita illa, quæ, ut in Actis apost. c. IX. dicitur, *obiit plena bonis operibus et elemosynis*, utique damnata est: imò Abel, Abraham et omnes justi, qui bonis operibus vacarunt exclusi sunt a cælo, Cain vero, Sodomitæ et omnes impii sunt in cælo, ipse etiam Lutherus cum pellice et nothis suis, cum obeso suo ventre, facilius multo ingredi per illam portam potuit, quam cum suo cucullo, jejuniis et aliis virtutibus claustralibus. Sed viderint hæretici, quid

dieturus ad hæc sit paterfamilias, cum vocabit operarios redditurus unicuique mercedem pro labore suo.

II. Viderint catholici, qui in hac vinea quidem sunt, sed non faciunt officium suum. Venerunt ad laborandum et promiserunt se laboraturos, ligonem etiam supra humeros gerunt, fidem, inquam, catholicam, interim tamen otiantur, bonis operibus non vacant, nec vivunt ut catholici sed velut hæretici aut pagani. Certe Isaac filio benedicturus noluit contentus esse sola voce dicentis: *Ego sum primogenitus tuus Esau*, sed voluit etiam palpasse ejus manus, et ex illis iudicium tulit, non ex voce; unde ait: *Vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau*, Genes. XXVII. Nihil ergo proderit dicere coram Deo: Christianus sum, nisi opera respondeant: nil proderit dici clericum, si interim sceteatur hircus, etc. Non satisfacit operarius muneri suo, si cum ligone suo per vineam deambulet, ita nec Christiani, si cum sola fidei professione incedant. Nam et istis dicitur: *Quid hic statis otiosi?* Si enim erimen est otiosum stare in foro, multo magis in Ecclesia. Ad hoc enim primo venimus in Ecclesiam, ad hoc demoni abrenuntiamus et Christo fidem dedimus in baptismo, imò ad hoc nati sumus, ut videlicet Dei voluntatem per omnia faciamus, eum laudemus et colamus, velut mancipia Dominum et creaturæ creatorem suum. Quare dicat sibi unusquisque eum abbate Arsenio: *Arseni, ad quid venisti.*

Secundo, ad hoc eum Deo pacti sumus; promisit ille nobis denarium vitæ æternæ sub ea conditione onerosa, ut fide et bonis operibus eum mereamur; unde expectamus eum titulo justitiæ (non quidem rigidæ, sed qualis est inter patrem et filium, herum et mancipium, creatorem et creaturam, quia ex mera liberalitate promisit) si conditionem impleverimus, ita ut S. Augustinus, serm. XVI. de verbis apost. dicere non dubitarit de Deo: debitorem fecit non tantum sibi, sed et Christo et nobis, ut illi dicere possimus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti. Quam mercedem vocat apostolus, coronam justitiæ, II. Tim. IV. et in hodierno evangelio paterfamilias: *Quod justum fuerit dabo vobis.* Quod sane mirandum est, Deum scilicet se nobis obligare voluisse, et debitorem nostrum fieri, qui pro summo jure suo poterat esse exactor. Unde exclamat August. serm. III. de verbis domini: O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi domino mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, ut a nobis obsequia debitæ servitutis obtineat! Hinc ergo colligamus quando et

quam arcto debito obligemur servire Deo, præcepta ejus servare et bene operari, qui non jure tantum servitutis sed ex pacto insuper ad hoc tenemur. Dicet enim aliquando nobis cœlestis paterfamilias: *Nonne ex denario convenisti mecum?*

III. Viderint præfecti operum, id est, domini, magistratus et patresfamilias, ut et ipsi in vinea Domini faciant officium suum. Imprimis noster paterfamilias primo mane surrexit conducere operarios. Idem faciant qui præsumunt cum Davide, qui dixit Psal. CVII. *Excitabo auroram.* Memorat Plutarchus, lib. ad imperitum principem, memorabile institutum regis Persarum, quo unus cubiculariorum mane regis cubiculum ingredi debebat et clamare: Surge, o rex, et negotia cura, quæ te Mesoromades, id est, sol curare voluit. Cogitet Christianus, hoc sibi custodem angelum occinere. Matutinum enim tempus commodissimum est consiliis, studiis, precibus, curis imò et rebus œconomicis, teste Aristot. libro I. œcon. cap. VI. Dolebat Demostheni, uti est apud Ciceronem, libro I. Tusc. si quando antelucana fabrorum industria vincebatur. Nobis non dolebit si ab iisdem aliisque superemur? Viderint porro ii, qui in multam lucem stertunt, et maximam vitæ partem somno perdunt, quasi vero in sepulchro non sat diu dormituri essent. Viderint et ii, qui noctem in diem et diem in noctem vertunt, noctu quidem pergræcando, interdium vero stertendo, quod refert Elius Lampridius, fecisse Heliogabalum Romani imperii monstrum qui interdium claudi valvas jussit, et quietem capessebat: de nocte vero salutare volebat, et negotia imperii tractabat. Cujusmodi principes pulchre quidam vocavit principes tenebrarum, apud Salmeron in hanc parabolam.

Secundo, pater hic familias non fraudavit operarios pacta sibi mercede, nec ejus solutionem diu distulit, sed ad finem diei præbuit. Ita faciendum præcipit Deus, Levitici XIX. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Idem præcipit Deuteronomii XXIV. *Ne clamet*, (inquit), *contra te ad Dominum, etc.* Tobias filio suo, Tob. IV. etc. Clamat autem in cælum peccatum hoc defraudatæ mercedis, quia evidentissimam injustitiam continet. Viderint ergo illi, qui non satisfaciunt operariis et opificibus, quorum utuntur opera, qui pro mercede verba tantum et sæpe mala, quandoque et verbera dant. Ad hæc dent mercedem justam et sufficientem, ne fures sibi creent.

Tertio, bona verba dedit etiam obmurmuranti: *Amice*, (inquit), *non facio tibi injuriam*; ita monuit apostolus ad Ephesios VI. *Et vos, domini,*